
Plurimis Coelum Paucissimis terram aspicit

D. ANDREAE OSIANDRI

Sacræ Theologiæ in Schola Regio
montana Prussiæ, Primarij
Professoris,

DISPVTATIO NES DVÆ.

VNA,
DE LEGE ET EVAN-
GELIO, HABITA NO-
nis Aprilis. 1549.

ALTERA,
DE IVSTIFICATIO-
NE, HABITA 9. CAL.
Nouembris. 1550.

Math. IX.
Portæ inferorum non præualebunt
aduersus eam.

Regiomonte Prussiæ
1550.

ANDREAS OSIANDER.

Lectori ſalutem.

COmpertum habeo, quod quidã apud Saxones, et ſuperiores germanos, fortaſſis etiã alibi, de Iuſtificatione parum ſobrie ſentientes, ut ſuos errores tegant ac defendant, mihi recte de ea docenti, quaſi erranti obſtrepere & obtrectare non erubeſcant, hac potiſsimum fiducia freti, quod ſperent me tam longe ſubmotum, nunquam certi quicquam, de ipſorum calumnijs cogniturum. Quibus refutandis has duas diſputationes denuo inuulgaui, ut ſi eas diſsimulauerint, ac nihil contra in lucem ediderint, calumniæ ipſorum omnem apud bonos fidem repente amittant. Sin autem contra ſcribere auſi fuerint, facile illis ora Deo adiuuante obſtruam, quicunqꝫ et quanticunqꝫ tandem fuerint. Paratus enim ſum, hanc ſynceram & cœleſtem doctrinam, non ſolum contra ſimios, & apoſtatas, uerum etiã contra portas inferorum defendere. Nemo igitur bonus & pius, illorum obtrectationibus moueri debet, donec ſua probarint, & mea legittime confutarint. Quod facient ad Calendas græcas. Vale.

D. ANDREAE OSIANDRI SACRÆ THEOLOGIÆ IN SCHOla Regiomontana Prussiæ Primarij professoris,

DISPUTATIO DE LEGE ET EVANGELIO, HABITA NONIS aprilibus Anno 1549.

FIDELIS SERMO ET omni acceptione dignus, q̃d Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. 1.Timo.1.

2. Ita enim iam tum ab origine mundi promissum fuit a Deo, cum diceret, semen mulieris conteret caput serpentis. Genesis 3.

3. Omnes autem peccauerunt & egent gloria Dei. Rhoma.3.

4. Verum tamen nullus omnino peccator adultus saluatur nisi egerit pœnitentiã. Luc.13.

5. Impœnitens enim cor thesaurizat sibi Rhomano.1.

iram, indie iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.

6. Pœnitentia autem uera, est agnitio & detestatio peccati, cum desyderio emendationis, & spe ueniæ a Deo consequendæ.

7. Porro peccatum non agnoscitur, nisi cognoscatur.

8. Cognitio autem peccati exacta, supra captum humanæ rationis est, dicente Da-
Psalm 8. uide, Delicta quis intelligit?

9. Ideo post promissionem, lex data est,
Rhoma.3. quia per legem cognitio peccati.

10. Lex autem est doctrina diuinitus tradita, ostendens nobis, quales esse, quidq; facere atq; omittere debeamus, inobedientibus maledictionem denuncians.

Gala.3. 11. Hæc lex si posset uiuificare, uere ex lege esset iusticia.

Habac.2. 12. Nemo enim iustificatur quin simul &
Rhomano.1. uiuificetur, cum iustus ex fide uiuat.
Ephes.2.
Colossen.2. 13. Peccatores autem nondum iustificati, mortui sunt del ctis.

14. Quos cum lex uiuificare non posit, nec iustificare quidem potest, eoquod peccatum coram Deo neq; tollere neq; cohibere ualeat.

15. Necesse est igitur legē in alium usum latam esse, q̃ ut iustificet. Quat-

16. Quatuor autem pręcipue S. Paulus legi tribuit. Primum, quod peccatum ostendat. Secundum, quod eidem occasionem prebeat, ut fiat supra modū peccans peccatum. Tertium quod iram operetur. Quartum, quod sit pędagogus noster in Christū

17. Duplex autem peccati genus nobis ostenditur per legem. Actuale scilicet & originale.

18. Peccatum actuale, est commissum seu omissum contra legem Dei.

19. Peccatum originale, est carentia iusticiæ originalis, debitæ inesse.

20. Iusticia uero Originalis, fuit fiducia erga Deum, tam ex factis, quam ex uerbis eius concepta, non modo perfectam tranquillitatem in rectitudine potentiarum animæ efficiens, uerum & spiritum Dei hauriens, unde Adam etiam prophetauit. Genesis 2. Matthei 19.

21. Sed quam diu nulla tentatione exercitata, nec per uictoriam tentationis confirmata fuit, Adam ab ea excidere potuit.

22. Vnde manifestum est, iusticiam originalē, & iusticiā fidei, eiusdem esse generis.

23. Duplici item ratione lex peccatum nobis ostendit, nempe quod non solum peccatum sit, uerum etiam quod & nobis insit.

24. Nam cum dicit (exempli causa) Non occidas, Non concupiscas, &c. non solum homicidium & concupiscentiam, ut peccata condemnat, uerum etiam nos, quibus loquitur, ut iracundiæ & concupiscentiæ obnoxios accusat, id quod & in aliis decalogi præceptis similiter intelligendum est.

1. Timo. 1. 25. Iusto enim non est posita lex.

26. Iam si peccator, peccatum sic ostensum compescere, & suis ad hue se uiribus legi satisfacere posse confidit, experietur peccatum supra modum fieri peccans peccatum per mandatum.

27. Ac tum demum serio sentit irã Dei in maledictione, uicissimq; irascitur legi, et per consequens etiam legislatori.

28. Hinc manifestum fit, non solum nos omnes esse natura peccatores, uerum etiam legem contra peccatum nullum afferre uel remedium uel auxilium, sed peccatum potius excitare & exacerbare, illiq; uirtutem, ut
1. Cor. 15. sit ministerium mortis & condemnationis suppeditare. Nam uirtus peccati lex.

29. Et ita conclusit scriptura omnia sub
Gala. 3. peccato, ut promissio ex fide Christi detur credentibus.

Gala. 3. 30. Interim tamen lex, externa pedagogia

etiam

etiam inuitos aliquo modo in officio con-
tinet, & in Christum qui finis legis est, respi
cere docet, tam promissiones quam typos
illum ostendentes, & adumbrantes, nobis
proponendo.

31. Promissione autem in Paradiso semel
facta, & deinceps patribus iterum atque ite-
rum, ac subinde clarius repetita, quum ue-
nit plenitudo temporis, misit Deus filium
suum, factum ex muliere, factum sub lege,
ut eos qui sub lege erant redimeret. Gala. 4.

32. Est igitur Iesus Christus Dei Filius, ue-
rus Deus, de Deo patre ab æterno genitus,
& cum eodem in unitate Spiritus sancti,
unus & idem Deus.

33. Est & idem semen mulieris, factus ex
muliere, absque commertio uiri, Spiritu san-
cto superueniente, & uirtute altissimi ob-
umbrante conceptus, & natus ex Maria uir
gine, absque peccato, qui antiquo serpenti
caput contriuit.

34. Talis enim decebat, ut esset mediator
dei et hominũ, deus et homo Christus Iesus

35. Qui peccata nostra in corpore suo
pertulit, legem & omnẽ iustitiã pro nobis
adimpleuit, pro transgressoribus orauit, &
exauditus est pro sua reuerentia, patremque
nobis placatum reddidit.

Itaque

Luc. ultimo 36. Itaq; iam pœnitentia & remissio peccatorum in nomine Christi prædicantur in omnibus gentibus.

Marc. ultimo 37. Et qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.

Rhoma. 4. 38. Crædenti enim fides reputatur ad iusticiam.

Rhoma. 3. 39. Igitur fide iustificamur.

40. Porro iustificandi uerbum dupliciter in scripturis accipitur, Significat enim ex impio facere iustum. Et iusti iusticiam uel testimonio, uel sententia definitiua comprobare, Nos hic in priore significatu accipimus.

Rho. 1. & 3. 1. Corin. 1. 41. Cum autem scriptura uarie de iustificatione loquatur (Nam iusticiam Dei per Euangelium reuelari. Et fidem ad iusticiam reputari. Et nos fide iustificari. Et Christum iusticiam nostram esse dicit) tum proprijssime loquitur, cum dicit, iusticiam Dei per Euangelium reuelari. Nam iusticia Christi, quæ eadem est & iusticia Dei per Euangelium nobis offertur, & credentibus in eum imputatur.

24. Æque proprie dicit, nos fide iustificari. Nam fide, eam iustitiam apprehendimus.

Fides

43. Fides autem non simpliciter, sed propter obiectum suum, qui Christus est, reputatur ad iusticiam, per synecdochen.

44. Eodem modo Christus dicitur iusticia nostra, quia omnis uera iusticia in eo & ex eo est. Iere. 23. 33. 1. Cor 1

45. Qui credit in Christum, in Christo est, & Christus in eo, sicut dixit. Ego in eis, & tu pater in me. Iohan. 17.

46. Qui habet Christum, habet et patrem & Spiritum sanctum, habet iusticiam Dei, & uitam æternam.

47. Christo autem per fidem in nobis inhabitante, regnum Dei intra nos est.

48. Regnum autem Dei est iusticia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Rhom. 14

49. In quo, qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit.

FINIS.

DISPVTATIO DE IVSTIFICATIONE.

Habita 9. Cal. Nouembris. 1550.

Galat. 3. 1. SAnctus Paulus, quum ad Galatas inquit, si data esset Lex, quæ posset uiuificare, uere ex Lege esset iusticia, totam iustificationis nostræ uim, breuissime simul et absolutissime complexus est.

2. Nihil enim iustificat, quod non & uiuificet. Nihilq; uicissim uiuificat, quod non simul etiam iustificet.

Hab. 2. Rom. 1. Galat. 3. 3. Ita ut recte dicamur iustificari fide, Quia iustus fide uiuit.

4. Iustificare enim propria et primaria institutione, significat ex impio iustum facere, hoc est, mortuum ad uitam reuocare.

Rom. 3. 5. Id quod proprium opus est omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis diuinæ, non minus quam creare.

6. Transfertur tamen sæpe ad aliam significationem, in qua idem ualet, quod iustum existimare, confiteri, testari, uel pronunciare.

Lex

7. Lex autem peccatum oſtendens, & iram operans, cum miniſterium ſit mortis, tantum abeſt a iuſtificandi efficacia, quantum mors abeſt ab ipſa uita. Rom. 7. Rom. 4 2. Cor. 3.

8. Non loquimur autē hic, de uita & morte corporis, ſed de uita & morte animæ.

9. Anima enim ut peccato dominante mortua eſt, ita Chriſto per fidem inhabitante uiuit.

10. Fidem autem uocamus, non carnalem humanæ mentis aſſenſum, quo cuiuis quid uis credimus, ſed motum ſpiritualem, quem Deus per uerbum prædicatum, & ſpiritum ſuum ſanctum, in cordibus noſtris excitat, ut in Ieſum Chriſtum filium eius unigenitum credamus. Coloſ. 2.

11. Et hæc fides recte deſcribitur ad hebræos. Quod ſit hypoſtaſis rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, Hebre. 11.

12. Facile autem ſobrie philoſophantibus concedimus, hanc fidem eſſe qualitatem, modo ipſi nobis uiciſſim concedant, non eſſe phyſicam, aut Ariſtotelicam, ſed ſupernaturalem, diuinitus in nobis excitatam.

13. Nec eoſdem reprehendimus, cum dicunt eam relatiue ſeſe habere ad uerbum Euangelij, cum recte intellectum non nihil lucis afferre queat.

Esa.9. 14. Obiectum enim fidei, ad quod & fides refertur, est Iesus Christus, Dei & Mariæ filius, per uerbum Euangelij nobis oblatus & donatus, fideqꝫ a nobis apprehensus,

15. Et sicut seruus qui dicitur, cum dominum non habeat, reuera seruus non est. Ita fides quæ Christum non apprehendit, Iohan. I. complectitur, & possidet, reuera Christiana fides non est, sed assensus carnalis, uel ex sanguinibus, uel ex uoluntate carnis, uel ex uoluntate uiri ortum habens.

16. Quare fides iustificans in sacris literis, semper intelligenda est per Synecdochen, ut scilicet includat obiectum suum, dominum nostrum Iesum Christum.

17. Sicut enim Regius Propheta Calicem Psalmo 23. suum uocat inebriantem, cum non calix ipse, sed uinum in calice contentum, possit inebriare. Ita scriptura sacra, uocat fidem iustificantem, cum tamen non fides, sed Christus fide comprehensus, possit uiuificare & iustificare.

1.Corin.1. 18. Ipse enim factus est nobis a Deo, Sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.

19. Hinc magna fiducia et constanter asserimus, fidem neqꝫ qua qualitas est, neqꝫ qua relatio

relatio, necq qua eximia uirtus, necq ulla sua dignitate, nos iustificare, sed tantū qua obiectum suum Christum apprehendit, & nobis unit.

20. Fides itaq3 corda nostra præparans & purificans, iustificat accipiendo & possidendo, Deus autem iustus & iustificans eū qui est ex fide Iesu Christi, iustificat, iustitiam suam nobis in Christo donando & conferendo. Actorum 15. Rom. 3.

21. Cum enim duplex Iustitia sit, Dei scilicet & hominum, fide, non hanc humanam, sed illam Dei Iustitiam apprehendimus.

22. Quæ non ideo tantum dicitur Iustitia Dei, quod coram Deo ualeat & accepta sit, sed quod reuera est Iustitia Dei. Nempe Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus benedictus in secula, amen. Rom. 9.

23 Dominus enim de cœlo prospexit, super filios hominum, ut uideat si est intelligens aut requirens Deum. Psal 13. et 53 Rom. 3.

24. Verum non est iustus quisquam, aut intelligens, aut requirens Deum. Ibidem

25. Omnes enim declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq3 ad unum. Ibidem

26. Sed solus Dominus noster Iesus Mat. 4 & 5.

Christus, qui legem & omnem iustitiam adimpleuit, iustus est, iuxta illud Zachariæ 9. Ecce rex tuus uenit tibi Iustus.

27. Neq; uero ideo Iustus est, quia legem adimpleuit, sed quia e Iusto patre, ab æterno Iustus filius natus est, iuxta illud, Pater iuste, mundus te non cognouit. Iohan. 17.

28. Eadem igitur est iusticia patris & filij, adde si libet, & spiritussancti, qua iustus ipse, iustificat impium, nempe Iustitia Dei, quæ eadem est & Iustitia fidei. Rom. 4.

29. Quia uero extra Christum nemo Iustus est, sed omnes mortui delictis, natura sunt filij iræ, non confertur cuipiam Iustitia Dei & uita æterna, nisi prius ei remissa fuerint peccata per sanguinem Christi. Ephes. 2. Colos. 2.

30. Vnde iustificationis duas partes libenter agnoscimus, Remissionem uidelicet peccatorum, & Reconciliationem.

31. Reconciliationem uero non illo uulgari modo accipimus, quo homo reconciliatur homini, sed theologice, ut Deo reconciliari idem sit, quod Christo uniri, ex eo renasci, illum in nobis & nos in illo esse, per illum uiuere, eiusdemq; in nobis inhabitantis Iusticia, iustos censeri.

32. Christus enim sponsus noster despon- Iohã. 3.

sat

sat nos sibi, uirginem castam, hoc est, nulla 2.Corin.11.
idololatrica doctrina corruptã, & despon-
sat nos sibi in sempiternum, in iusticia & iu-
dicio, in misericordia & miserationibus, & Oseæ 2.
desponsat nos sibi FIDE.

33. Vnde cum eo sumus una caro, mem-
bra scilicet corporis eius, caro de carne eius, Ephes. 5.
& os ex ossibus eius.

34. Propter hoc relinquet homo patrem Ibidem
& matrẽ, & adhærebit uxori suæ, & erunt
duo in carnem unam. Hoc mysterium mag
num est, in Christo & ecclesia.

35. Hinc renascimur in illo & ex illo, ex Iohan 3.
aqua & spiritu, non ex corruptibili, sed in- 1.Petri.1.
corruptibili semine, per uiuum uerbũ Dei,
& permanens in æternum.

36. Porro hoc semen Dei, in credentibus 1.Iohan. 3.
& electis, manet. Vnde & filij Dei, ac diuinę Galat.3.
naturæ consortes efficimur, qui enim Deo 2.Pet.1. 1.Cor.6.
adhæret, fit unus spiritus cum eo.

37. Nunq̃ tamen cum Deo unus spiri-
tus fieremus, nisi prius cum Christo una ca-
ro essemus.

38. Habitat itaq; Christus per fidem in Ephes.3.
cordibus nostris, ut Paulus uult, & per con-
sequens etiam Pater & Spiritus sanctus.

39. Quia in Christo inhabitat omnis ple- Coloss. 2.
nitudo

nitudo diuinitatis corporaliter, & per consequens etiam in ijs, in quibus Christus habitat.

Iohan. 17. 40. Quod ut fieret, Christus a patre precibus obtinuit, dicens. Non pro eis tantum rogo sed pro ijs, qui per uerbum eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, sicut nos unum sumus. EGO IN EIS, & TV IN ME, ut sint consummati in unum.

Iohan. 6. 41. Præterea, id ita futurum, nobis promisit, inquiens. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & EGO IN ILLO.

Iohan. 14. 42. Item. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & MANSIONEM APVD EVM FACIEMVS.

Ibidem 43. Item. Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut MANEAT VOBISCVM IN ÆTERNVM. Spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere. Qui autem spiritum Christi non habet hic non est eius. Rom. 8.

Iohan. 14. 44. Item. In illo die cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & uos in me, ET EGO IN VOBIS.

Ac

45. Ac diligenter hortatur, ut ita in ipso perseueremus, dicens, uos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum uobis, Manete in me, & EGO IN VOBIS. Iohan. 15.

46. Hinc Paulus in domino sancte gloriatur, se ministrum a Deo constitutum ad prædicandum uerbum Dei, quod sit mysterium a sæculis absconditum, nunc autem patefactum sanctis, quibus uoluerit Deus notum facere, quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius, quod est CHRISTVS IN NOBIS. Colos. 1.

47. Hinc audet, & dicit, Viuo, iam non ego, VIVIT VERO IN ME CHRISTVS, Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei. Galat. 2.

48. Item. An experimentum quæritis eius, qui IN ME LOQVITVR CHRISTVS? 2. Corin. 13.

49. Hinc Corinthios hortatur, inquiens, Vos ipsos tentate, num sitis in fide, uos ipsos probate, An non cognoscitis uosmetipsos, quod IESVS CHRISTVS IN VOBIS EST? Nisi forte reprobi estis. Ibidem

50. Item. Templum Dei sanctũ est, quod estis uos, sicut dicit Deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus. 1. Cor. 3 et 6 2. Corin. 6.

Rom. 8. 51. Proprio filio suo non pepercit Deus, Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Igitur fieri nequit, ut non etiam omnia cum illo nobis donet.

52. Qui autem omnia nobis cum illo donat, multo magis ipsum filium totum, quicquid is est, nobis ante donauit. Iuxta illud. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.

Hiere. 23. 53. Hinc iustitia eius essentiali iusti sumus, iuxta illud. Hoc est nomen quod uocabunt eum. DOMINVS Iusticia nostra.

54. DOMINVS enim, ut illic in hebræo ponitur, nomen Dei ineffabile est, & nulli creaturæ communicabile, unicamq; diuinã essentiam, tribus personis, Patri, Filio & Spiritui sancto communem, cum respectu ad incarnationem filij, significat.

55. Itaq; periculose deprauant sanctam scripturam, qui contendunt hic legendum esse. Dominus Iustificator noster, contra manifestam linguæ sanctæ proprietatem, quam nec Iudæi negare audent.

Iohan. 6. 56. Hinc uita eius essentiali uiuimus & uiuemus, Iuxta illud, Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem, ita & qui manducat me ipse quoq; uiuet propter

ter

ter me. Christus enim est uerus Deus & uita æterna. 1.Iohan.ult.

57. Ac nisi manducauerimus carnem filij hominis, & biberimus eius sanguinem, non habebimus uitam in Nobis. Iohan.6.

58. Manducare autem eius carnem, & bibere eius sanguinem, hic dumtaxat, nihil aliud est, quam credere ipsum, peccata nostra pertulisse in corpore suo, & sanguinem suum effudisse in remissionem peccatorum nostrorum, sed ita, ut hac fide cum illo una caro fiamus, & sanguine eius a peccatis lauemur. 1.Petri 2. Mathei 26. Apoca.1.

59. Hinc gloria eius essentiali glorificati sumus, Quia qui orat, Pater clarifica me claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret. Ille etiam dicit, Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis. Iohan.17.

60. Nam quos uocauit, eos & iustificauit, quos autem iustificauit, eos & glorificauit. Rom. 8.

61. Et nos omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. 2.Corin.3.

62. Sumus itaque filij Dei, nec dum apparuit, quid futuri simus, Scimus autem, quod cum apparuerit, similes ei erimus. 1.Iohan.3.

63. Hinc etiam essentiali Caritate illius inflammamur, ad diligendum ipsum, & proximum propter ipsum, Caritas enim Dei,
Rom. 5. diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

I. Iohan. 4. 64. Deus enim Caritas est, & qui manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in eo.

2. Cor. 4. 65. Habemus autem hunc thesaurum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtutis Dei, & non ex nobis.

Rom. 6. 66. Quin etiam mors Christi, in quam per baptismum complantati sumus, in nobis efficax est, ad destruendum corpus peccati, et mortificandum ueterem hominem,
Ephes. 4. Colos. 3. Rom. 8. Iuxta illud. SI CHRISTVS IN VOBIS est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uita est propter iustificationem.

I. Iohan. 4. 67. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum, ad hunc modum uenisse & uenire in carnem nostram, ex Deo est.

Ibidem 68. Et omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum ad hunc modum uenisse in carnem nostram, ex Deo non est. Et hic est spiritus Antichristi, de quo audiuistis, quod uenit, & iam nunc est in mundo.

69. Errant itaq; toto cœlo, nec theologico nomine

co nomine ulla ratione digni ſunt, quot-cunqꝫ & quanticunqꝫ ſunt, qui putant alia re, quam ſolo, uero & uiuo Deo, patre, filio incarnato, & ſpiritu ſancto, nos poſſe iuſtificari, uiuificari, glorificari.

70. Et quiſquis hanc iuſtificationis noſtræ rationem non tenet, quicquid profiteatur ore, certum tamen eſt, eum eſſe Zuinglianum in corde.

71. Impoſsibile enim eſt, ut credat, uerum corpus Chriſti in pane, & uerum ſanguinem eius in Calice, qui non credit Chriſtum reuera habitare in Chriſtiano homine.

72. Quiſquis autem hanc iuſtificationis noſtræ rationem, a Deo doctus, probe tenet, is facile intelligit, non panem & uinum, ſed uerum corpus & ſanguinem Chriſti, ſacramentum huius myſterij eſſe oportere, etiamſi pane & uino tegantur.

73. Glacie quoqꝫ frigidiora docent, quicunqꝫ docent, nos tantum propter remiſſionem peccatorum reputari iuſtos, & non etiam propter iuſtitiam Chriſti, per fidem in nobis inhabitantis.

74. Non enim tam iniquus eſt Deus, aut iniquitatis amans, ut eum pro iuſto habeas, in quo ueræ iuſticiæ prorſus nihil ſit, Iuxta Pſal. 5.

illud, Quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es.

75. Et tales non iusticiam Dei prædicant, sed multitudini peccatis ita contaminatæ, ut Deus in eis inhabitare nec uelit nec debeat, turpiter blandiuntur & adulantur, ne animaduertant, se longissime adhuc abesse a regno Dei.

76. Iusticia enim Christi, nobis quidem imputatur, sed non nisi quum in nobis est, iuxta illud. Deus eum qui peccatum non
Rom. 8. nouerat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum.

77. Huic iusticiæ Christi, perfectam obe-
Rom. 6. dientiam debemus, ut exhibeamus membra nostra, arma iustitiæ Deo, in sanctifi-
Mathei 6. cationem, quam quia in hac uita non perfecte præstamus, orandum est ut dimittantur nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.

78. Opera nostra quantumuis bona, neque iustificant, neque uiuificant, neque glorificant (hæc enim solius Dei sunt) sed fiunt a iustificatis, uiuificatis & glorificatis, quia
Mat. 7 et 12 arbor mala non potest bonos fructus ferre.

Apocali. 22. 79. Et quanque qui iustificatus est, iustifi-

cari

cari debeat adhuc, hoc tamen non fit operibus nostris, sed cognitione filij Dei per fidem, per quam ei de die in diem magis unimur, donec omnes occuramus in uirum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ephes. 4.

80. Nulla doctrina magis impellit homines ad bene operandum, quam hæc cœlestis de iustificatione nostri doctrina.

81. Nam Deus per Spiritum suum, a quo aguntur filij Dei, efficax est in credentibus, & ipsi ex animo obediunt, uerentes offendere Deum, quem sibi credunt ad hunc modum esse præsentissimum, & intimum, ne ab eo deserti, iterum moriantur. Rom. 8.

Erratum typographi in frontispicio lege. Matth. XVI.

EX OFFICINA HÆREDVM
Ioannis Lufftij.